





1667

De
...

1668

1673

...

...

...

...

...

...

...





1664

- 1.2. Covingius, Hermannus : De maiestatis civilis autoritate
et officio circa leges. 2 Exempl
- 3^o Lickelius, Johann : De arrestis. 2 Exempl 1664
1673
4. Hahnus, Henricus : De iure sexus foeminiis
singulari.
5. Hahnus, Henricus : De laesione ultra diem
diem usque correctione
6. Jahn, Joh. : Programmata festo pentecostes
7. Wernerus, Georgius : De monopolis
8. Wernerus, Georgius : De antichresi
9. Wernerus, Georgius : De iure emphyteutico
10. Wernerus, Georgius : De auctoritate
- 11^o Wernerus, Georgius : De privilegio summorum studiorum
causae factorum

12. Werneri, Georgius: De jure contractus promissorii
1665

1. Couringius, Hermannus: De importandis et exportandis

2. Couringius, Hermannus: De vectigalibus

3. Richelius, Johannes: De debitis feudatibus

4. Richelius, Johannes: De pravis et irrationalibus
consuetudinibus

5. Richelius, Johannes: De modo ejusque a titulo
in rerum acquisitione differentia

6. Glaeserus, Jacobus: De examine Testium

7. Hakius, Henricus: De actionibus personalibus

8. Wernerus, Georgius: De contributione propter jacturam
velut avaria

dis

lus

o

ten



[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]



142


Gerh. Titius 1664, 6

7/1

Programma
FESTO
PENTECOSTES
P. P.
In Academia Julia
ANNO
MDC LXIV.

HELMESTADT,
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.





GERHARDVS TITIVS,
S. THEOL. DOCT. ET PROF. ORDINAR.
ACADEMIÆ JULIÆ HODIE
PRO-RECTOR,
Civibus Academicis

S. D.

Epist. 78.

Ræclarè Basilius Magnus Ecclesiæ Orientalis
illustre olim fidus, alicubi hunc in modum pro-
nunciatum reliquit: *Oportet nos baptizari, sicut
accepimus, credere verò sicut baptizamur, colere
verò & glorificare sicut credidimus, Patrem, & Fi-
lium, & Spiritum sanctum.* Verba, ut videmus
gemina prorsus illis, quibus in Synodo Constantinopoli-
nâ primâ usi sunt sancti Patres, quando contra infelicissimum
πρωματομάχον Macedonium professi sunt, credendum in Spi-
ritum sanctum, Dominum & vivificantem — qui cum Patre &
Filio simul adoratur & glorificatur. Et erat isto jam tempore
antiqua consuetudo illa, ut in fine Psalmorum in Ecclesiâ
publicè adjiceretur celeberrima illa *δοξολογία*, Gloria Patri,
& Filio, & Spiritui sancto. Atque id ipsum hodieque gentes
quas per diversitatem linguarum cunctarum Deus in unitate
fidei congregavit, pleno ore audias personare, imitatas hoc
pacto Cherubim cœlestes, qui suum *τεράγιον* accinuerunt
ipsi quoque Spiritui sancto, indice nec obscuro nec fallaci
ipso S. Paulo Actor. Cap. xxix, 25. 26. collato cum Esai.
cap. vi, 3. 8. 9. Ut impios plane esse oporteat, qui vel furtim
tantum

tantum in angulo, unanimi huic *caelestium ac terrestrium* con-
centui obstrepere, nedum publicè, novis & dissonis clamo-
ribus, ad instar luporum interululare non extimescant.
Non deest tamen tale hominum genus, quod de Spiritu
sancto astutè & impiè rhetoricatur, personam eum minimè, Aug. Conf.
cui adoratio & glorificatio sit impendenda, (*Qv̄, Qv̄ m̄c̄ ad s̄om̄* artic. 1.
&!) sed nihil aliud, quàm peculiarem virtutem & efficaciam Socin. cone
Dei esse, nec tamen omnem virtutem & efficaciam Dei, sed eam trā Wujek,
tantum, quâ res aliquo modo sanctificentur; esse partim virtu- cap. x.
tem in ipso Deo residentem, quomodo naturaliter in ipso Deo sit;
partim residentem in homine, dona videlicet & motus, quos I. Crellius
Deus creat & excitat in animis humanis.

Equidem nihil rectius fieri poterat, quàm ut veteres il-
los fidelium simplices apud Irenæum imitati, ad ejusmo-
di insanientem sapientiam *statim concludentes aures, longè lon-* libr. III,
gius fugeremus, ne audire quidem sustinentes blasphema deliria; cap. 4.
est enim tantis judicijs confossa dudum & damnata hæc odio
dignissima causa, ut certum impudentiæ signum sit, si quis
ejus patrocinium denuò suscipere velit. Age tamen, ne
quid desit confundendæ falsitati, veritatem Catholicam
breviter in luce collocemus. Legimus in Evangelio Lucae
cap. III. *Factum est cum — Jesus baptizatus esset, & oraret, ut*
aperitum sit cælum, ac descendit Spiritus sanctus corporeâ specie
quasi columba super ipsum &c. Similis sub signo sensibili Spi-
ritus sancti apparitio memoratur ab eodem sacro scriptore
in Actis Apostolicis cap. II. 2. 3. 4. *factus est repente è cælo sonitus,*
tanquam ruentis flatus violenti, qui replevit totam domum ubi
erant (Apostoli) sedentes. Et visa sunt eis dispersa lingua
instar ignis (quales solent esse flammæ, lambendo sursum
ascendentes, dictæ lingua ignis Esaj. V, 24.) & sedit Spiritus
sanctus, id enim è proximè sequentibus retrahendum) super
unumquemq; eorum; repleti sunt autem omnes Spiritu sancto; &

Ioh. Crell.
I. Volkcl.

ceperunt loqui aliis linguis, prout Spiritus dabat eis eloqui. Virtutem aliquam Dei naturalem in Deo residentem, in assumptâ specie corporeâ descendere & apparere, dictu audituque est absurdum. Neque sanius illud recentiorum figmentum, qualitatem à Deo creatam in materia ista quæ columbæ figuram habuerit, receptam eiq; fuisse impressam, ut per eam in Christum deferretur, & hoc esse quod hîc dicatur, Spiritum sanctum descendisse super Christum, sedisse item alibi super Apostolos. Quid non comminiscitur falsitas, ne cogatur veritatis lucem in oculos mentis admittere? Quid opus est miraculum miraculo, minus majore cumulare, & planè accidens aliquod de subjecto in subjectum emigrasse ponere, ubi necessitas nulla id imperat? Teneamus itaque quod res est, illud quod in aliâ atque aliâ visibili formâ se conspiciendum præbet, esse rem singularem per se subsistentem. Et, ut in compendium mittamus orationem, possumus pro certo affirmare, ea quæ personæ propriè competunt, personam arguunt, aut de personâ dici possunt, (est autem nobis persona, res singularis per se subsistens, intelligens) de Spiritu sancto in scripturâ frequenter enunciari. Quod si contingat, de illo aliquando etiam enunciari, quæ personæ non conveniunt, qualia sunt quod effundatur, quod secundum mensuram detur, & similia, de donis seu effectis ejus talia accipere rectum fuerit. Et notatu digna hîc porrò sunt verba S. Augustini libro IV. de Trinitate cap. xx. *Quod dicit Evangelista Joh. cap. vii. 39. Spiritus sanctus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus, quomodo intelligitur, nisi quia certa illa Spiritus sancti DATIO vel missio post clarificationem Christi futura erat, qualis nunquam antea fuerat. Neq; enim antea nulla erat, sed TALIS non fuerat.*

Act. XIII,
2.

Sed ad ostendendam Spiritus sancti *τὴν ἰσοότητα* est reverendum. Ille ministrantibus Domino & jejnantibus Aposto-
li

lis, *separate MIHI*, dixit, *Barnabam & Saulum operi, ad quod*
eos advocavi. Qui ita de semet ipso ad alios loquitur, ut suo
 usui & ministerio aliquem ex ijs jubeat destinari, quomodo
 non sit natura rationalis subsistens sive persona? Alibi do-
 cemur *visum esse Spiritui sancto ET Apostolis, necessaria qua-*
dam pro eo quidem recens plantatae ecclesiae statu praecpta
 observanda condere. Docemur, *Spiritui ipsi sancto*, nec tam
hominibus Apostolis in quibus peculiariter habitabat, men-
dacio occurrisse, cumque hoc pacto offendisse Ananiam.
 Qualia non possunt non arguere naturam intelligentem &
 subsistentem. Spiritus sanctus *alij Prophetiam, alij discretio-*
nem Spirituum, alij genera linguarum donat, & haec omnia efficit
unus & idem ille Spiritus, distribuens privatim singulis ut VULT.
 Hic *voluntas* Sp. sancto clarissimè tribuitur, & sic iterum to-
 talis de personalitate illius, secundum ecclesiam Catholi-
 cam datur. Plumà levius est quod objicitur, *voluntatem*
 Sp. sancto tantum *per similitudinem* & sic improprie tribui.
 Reponimus statim ipsa tortoris Socini verba, loco alio re-
 ctissimè professi, *non temerè à consuetà & propria verborum*
significatione esse recedendum. Distinguuntur etiam hoc in
 signi loco, dona gratiae, multa & varia, tanquam effectus
 Sp. sancti, ab eo, qui *unus est & idem*; ab eo ceu causâ effici-
 ente principali, pro libertate arbitrij videlicet agente, non
 tantum ab eo ceu *qualitate* quadam operatrice emanantia.
 Neque enim in Deum qualitas operatrix ab ejus essentiâ
 realiter distincta cadit, & potentia operatrix, est ipsa ejus ef-
 fectiva, nec potest pro causâ instrumentali reputari, multò
 minus in homines transfundi, iisque communicari, quippe
 infinita, aeterna, Deoque essentialis. Sed & apud Johan-
 nem Evangelistam Cap. xvi. ita de Spiritu sancto verba fi-
 unt, ut personam denotari sit planè manifestum. *Nisi abiero,*
ait Servator, consolator, aut, advocatus ILLE non veniet ad

Actor. 27.
28.

Actor. v.
3. 4.

I Cor. xii.
10. 11.

Jonas Sliche-
ting.

Epist. ad
Francisc.
David.

vers. 7. 30



vers. 13.

libr. III. de
doctr. Chr.
cap. 8.

vos. Et cum venerit ILLE, arguet mundum de peccato, & de
justitiâ, & de judicio. Et paulo post rursus: Cum autem ve-
nerit ILLE, Spiritus ille veritatis, introducet vos in omnem
veritatem. Non enim loquetur à semet ipso, sed quaecunque au-
dierit loquetur, & quæ ventura sunt renunciabit vobis. Pro-
sopopœiam hîc caussari, quàm est facile novis magistris,
tam nobis eam vicissim explodere est in proclivi. Bene sci-
licet notavit Augustinus, si animum præoccupaverit alicujus
erroris opinio, quicquid aliter asseruerit scriptura, figuratum ho-
mines arbitrari. Porro cum Servator jussit, baptizari gen-
tes in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quomodo non
Spiritus sanctum æquè, ac Patrem & Filium, rem subsisten-
tem esse agnoscamus? Certè baptizandos esse homines in
nomen alicujus qualitatis divinæ, vel solo aurium purga-
tarum judicio est absurdum. Prosopopœiæ autem, æquè
hîc est locus, ac cani, ut dicitur, in balneo. Ubi sunt itaque,
qui tanto conatu nobis persuadere satagunt, Spiritum san-
ctum minimè esse personam?

Equidem opponunt illi nobis, Spiritum sanctum tamen
diserte virtutem altissimi vocari. Ut largiamur, Spiritum
sanctum isthic loci eo titulo venire; quis nescit, ipsum quo-
que Christum vocari virtutem Dei? Simonem quoque ma-
gum, virtutem Dei magnam ab alijs vocatum fuisse, perhi-
beri? Adeò non desinit esse substantia, quod virtutis nomi-
ne aliquando appellatur. Potius ergò, cum scriptura Spi-
ritui sancto constanter ea tribuat, quæ propria sunt personæ,
cedamus tanti ponderis molibus, & credamus ut par est, Spiritum
sanctum, qui fatentibus novis hæreticis naturaliter in Deo, &
scripturâ teste Paracletus ALIVS à Patre est, esse revera quo-
que personam. Non ignoramus sanè, caritati quæ aliquid
subsistens minimè est; apud Paulum tribui ea, quæ non nisi
personæ alias conveniunt. Sed ut metonymiam hic admit-
tamus,

1. Cor. XIII,
4. 5.

tamus, res ipsa plane nos cogit. Constat enim exactè rationi
nostræ, caritatem è genere accidentium & qualitatem esse.
Illi itaque quando tribuitur, quod sit *patiens*, sit *comis*, non in-
videat, facile agnoscimus, per metonymiam hominem ca-
ritate præditum, intelligendum esse. At, longe secus cum
Spiritu sancto comparatum est. Quis ille, qualisve sit, è lumine
rationis nobis prorsus est ignotum, & è revelatione sacræ scri-
pturæ unicè discendum. Hic ergo *intelligentiam* de eo, è
simplice *dictorum virtute* haurire rectissimum fuerit, quod ubi
fecerimus, de ejus *incomprehensibilitate* dubium nullum amplius erit re-
lictum. Occurrant verò aliquando de eo metonymicæ in-
scripturâ locutiones, sit metonymia, quando Sp. sanctus dici-
tur *clamare* Galat. IV, 6. *orare* 1. Cor. XIV, 14. intelligatur hoc
de hominibus, Spiritu illo motis & excitatis, non tamen per-
petuò, etiam ubi non exposcit apertè contextus, locutio talis
erit prætendenda. Una anticipata opinio est, quæ novæ sa-
pientiæ magistris tot subterfugia suggerit, illa inquam perti-
nax opinio, quod plures inter se distinctas in unâ simplici di-
vinâ essentiâ personas pro re impossibili habent, quia ra-
tione sua id comprehendere non valent. At quanto rectius
secum cogitent, ex conditione creaturarum non licere
æstimare ipsum Deum, à quibus ille in infinitum distet, &
sicut ille multò plura possit facere quàm nos mente valea-
mus assequi, ita in eo multa etiam esse posse, quibus penitiùs
intelligendis acies nostræ mentis multò maximè sit impar.
Cum Scriptura tam constanter tres illas res relativas subsi-
stentes, Patrem Filium & Spiritum sanctum, à Patre proce-
dentem, nominibus, epithetis, alijsque prærogativis soli ve-
ro Deo proprijs proponat, nec minus *unum* esse Deum, præ-
ter quem non sit alius, inculcet, credamus simplici fide, Pa-
trem, Filium, Spiritum sanctum, esse unum illum Deum,
tres

Ansel. ap.
Bellarmin.
l. 2. de Chri
sto cap. III
col. 332.
Epist. libr.
II. Ep. 12.
tres personas esse tres res, & unam rem, tres relativas & unam ab-
solutam, quicquid contortæ semidoctorum hominum argu-
tiæ obloquantur. Cæli mysterium doceat nos Deus ipse qui con-
didit, non homo, qui se ipsum ignoravit. CUI MAGIS DE
DEO, QUAM DEO CREDAMVS? dicat pro nobis S. Me-
diolanensium antistes.

Sed quorsum labitur præsens sermo? Dum hodiè cum
omni ecclesiâ Spiritum sanctum, Dominum & Deum no-
strum, in cuius *nomen baptizati* sumus, colimus & invocamus,
eique pro divinis *regenerationis & renovationis* beneficijs hu-
milimas gratias agimus, oportunum fuit ostendere, quis qua-
lisve ille esset, ne nobis dici posset quod Christus vitio dabat
Ioh. IV, 22. Samaritanæ, *vos adoratis quod nescitis.* Hunc Deum & Do-
minum nostrum Spiritum sanctum, ardentè nobiscum in-
vocabitis CIVES, ut ille, & in hâc vitâ, *quoties recurrit consci-*
Apolog. entia, *quoties sollicitat ad desperationem, cum ostendit aut vetera*
A. C. Art. 4, 5, 6, 20. *peccata, aut nova, aut immundiciem nature, & in articulo mor-*
tis, quando jam *tenebris nigrescunt omnia circum, in verâ in Je-*
sum Christum fide nos propitius conservare velit, neque e-
nim quisquam *in illo asferrimo certamine desperationis, potest*
1. Cor. XII, fiducialiter, ut sic dicamus, *Jesum dicere Dominum suum, nisi*
3. *per Spiritum sanctum.* Nolitis etiam his diebus *impleri vino,*
Ephes. V, *in quo luxus est, sed implemini Spiritu, loquentes inter vos mutuo*
18. 19. *per Psalmos, & hymnos, & cantiones spirituales, canentes ac psal-*
lentes in corde vestro Domino. Beneficentiam quoque exhi-
11. Cor. III, bebitis illis, qui Evangelium, quod est *ministerium spiritus,*
8. vobis his diebus fideliter annunciant. Quod omne, sicut
dignum est pietate & humanitate vestrâ, ita sponte etiam id
ipsum facietis. Valere & Salvete. P. P. in Academia Julia
dic xxix. M. Maji. c l o I o c LXIV.





ULB Halle
001 972 863

3



Sb.

VDA7





